



Universitätsbibliothek Paderborn

Unius Necessarii pars ...

Ubi agitur De Cognitione Dei - Quanti nimirum momenti illa fit, & quibus
praesidiis obtineri ab unoqueque hominum possit

Rogacci, Benedetto

Pragae, 1721

Caput IX. Declarantur praedicta duo consecraria, & ratio conscendendi per
ea ad supremi Conditoris notitiam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54487](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54487)

bant, (c. 6.) *Duabus velabant faciem ejus, & duabus velabant pedes ejus.* (Itin. Ment. c. 2.)

CAPUT IX.

Declarantur prædicta duo
confectaria, & ratio conscendendi
per ea à rebus creatis ad supremi
Conditoris notitiam.



Onstituto itaque inter rerum certissima, DEUM esse, prout non Orthodoxa solum Religio docet, sed tota etiam mundi universitas prædicat, primum, atque universale omnium principium; facillimum primò cuivis est hinc arguere, quàm immensa, ineffabilis, humanumque omnem captum excedens illius sit sapientia, & potestas. Quid enim? ullane difficultas occurrit, in definienda qualitate, de cujus fructibus constat? Fructus proprii cujusque sunt illius opera; ubi de his liquet, non modò pronum est scire, sed & impossibile nescire, cujus ille conditionis, ac meriti sit. *Opera, quæ ego facio, aiebat Christus Dominus, (Joa. c. 5. & 10.) testimonium perhibent de me. Si mihi non vultis credere, operibus credite.* Hinc, si ædificium intueamur, communem normam

supergressum, Titi amphitheatrum putà, vel Vaticanum Principis Apostolorum templum; ex illius amplitudine nihil dubitantes colligimus, extraordinariis quoque impensis constructum esse, & eum habuisse authorem, qui satis & animi ad tantam molem aggrediendam, & virium ad perficiendam habuerit. Quemadmodum etiam, si aliquas nos contingat videre præcellentis artificii machinas, cujusmodi Archimedææ erant, seu eximia quædam primariorum Scriptorum Aristotelis exempli gratiâ, vel D. Thomæ monumenta perlegere; non possumus non mirari singularem ingenii præstantiam, quæ tum in partibus, tum in totius idea, architectatione, & contextu se prodit: repetentes subinde nobiscum, ô intelligentiam sublimem! ô mentem heroicam, & Angelorum typis excusam! In summa, quod verissimè scripsit Philo, (I de Mon.) *Cognoscendorum opificum indicia semper sunt opera.* Quot cujusque artificis monumenta extant, tot certissima ille habet artis suæ testimonia. Nullum eorum in lucem edit; quin germanissimam ibi effigiem sui exprimat. Qui nunquam eum vidit, nec aliunde cognitum habet; potest indè justam illius speciem mente concipere, & cujusmodi ille sit, æstimare.

2. Quæ

2. Quæ cum ita sint; age jam, *Venite, & videte opera Domini, quæ posuit prodigia super terram.* (Ps. 45.) Venite, inquam, homines universi, contemplatum prodigiosissima cælestis fabri opera: ut possitis mox statuere, numquid cum eorum alio possit in contentionem venire, quidquid artificiosi, magnifici, admirandi, & eximii creata quævis seu mens concipere, seu vis exequi valuit. Et quam, rogo, mundi partem perlustrare cogitando fas erit; quin vestra ibi mens, secundum D. Augustini locutionem, (*Tr. 8. in Joa.*) *obruatur mirabilis*: nimirum in spectacula incidat, ad eam penitus obstupefaciendam, extraque se rapiendam idonea? Aspiciate cælos, corpora in immensum adeò orbem circumducta; ut nedum oculorum obtutus, sed neque mentis acies iis permetiendis par sit: adeoque simul in perpetuis, & ordinatissimis suis conversionibus cita, ut ipsamet cogitatio, in persequendo eorum cursu, fatigetur, ac prorsus deficiat. Videte aërem, ut jam undique solis luce inauratus, jucundissimum sui spectaculum oculis præbet; jam nubilus, inque horridam majestatem compositus, flatus ciet, evellendis arboribus, diruendisque ædificiis pares, strepit tonitruis ipsamet terræ fundamenta suo fragore quassantibus, & fulmina ejaculatur tan-

tavi, tantoque impetu acta, ut nihil non per-
 rumpant, prosternant, disjiciant. Intuemi-
 ni aquas, partim divisas in flumina, perpeti,
 nec exarescente unquam fluxu terræ sinum
 percurrere; partim intrâ vastissimum profun-
 dissimumque maris gremium collectas, jam
 in liquentis sapphiri speciem immotas quies-
 cere; jam in tempestates assurgere, eoque fre-
 mitu, ac furore debacchari; ut vel tuto è lit-
 tore prospectantibus horrorem incutiant.
 Considerate terram, multiplici adeò frugum,
 stirpium, gemmarum, metallorum, & ani-
 mantium proventu fœcundam, ut neque om-
 nes horum species ullo pacto enumerare,
 neque artis elegantiam, qua singulæ fabrefa-
 ctæ & compositæ sunt, sat mirari possimus.
 Proh DEUM immortalem! quidnam hoc o-
 perum, imò quidnam veriùs prodigiorum
 hoc est? Quantum in unoquoque artificii, spe-
 ciei, opportunitatis, magnitudinis spectan-
 dum occurrit? Quibusnam lacertis corpora
 tam immania è nihili profundo sunt eruta?
 Quantæque virtutis, dicendum est, causam
 fuisse, quæ operationum tam mirabilium, tan-
 toque intervallo humanos quosque nisus ex-
 cedentium facultatem iis tribuit? Quàm ca-
 paci & fœcunda mente opus fuit ad concipien-
 das tot, tamque differentium naturarum ide-
 as:

as: ad earum unamquamque propriis instru-
endam facultatibus, dotibus, & suæ conserva-
tionis præfidiis: ad omnes demum inuicem ne-
ctendas in unitatem adeò concinnam & stabi-
lem, prout illa est, qua tamdiu mundi univer-
sitas viget? Ah stolidum, & totius mentis ex-
pertem credi necesse est, qui hujusmodi effe-
ctus aspiciens infinitam authoris, à quo pro-
ducti sunt, artem & potentiam minimè adver-
tit: aut advertens non ea, qua par est, tanto-
rum decorum admiratione totus percellitur:
nec humi sese pronum abjiciens, attonitus, &
præ metu ac reverentia vix sui compos exclam-
mat: *Domine consideravi opera tua, & expavi*
(*Habac. 3 juxta 70.*) Grandis immensa, inef-
fabilis, quæque spectari sinè religioso horro-
re, nequeat, tua est, altissime mundi Procre-
ator, sapientia & potestas. *Magnus es tu, &*
faciens mirabilia, tu es DEUS solus. (*Pf. 87.*) Cre-
ata omnis intelligendi, & operandi virtus, si
cum tua comparetur, nihil aliud videri, quàm
merus stupor, quàm extrema imbecillitas po-
test. Ad intelligendum, quænam sit divinæ
tuæ mentis, divinique tui brachii præstantia;
satis est opera, quæ indè prodierunt, specta-
re: opera portentosæ artis & molis, nostram
omnem non modò efficientiam, verùm etiam
mentis comprehensionem superantia, quæque

alium habere nequeunt authorem, quàm DEUM. *Confitebor tibi, quia terribiliter magnificatus es. Mirabilia opera tua, & anima mea cognoscit nimis. (Ps. 138.)*

3. Tale igitur primum consequens est, quod, admisso, DEUM esse universalem rerum omnium causam, nullo indè negotio posse a jebam deduci: quòdque facillimam nobis praxim suppeditat, ex visibilium rerum aspectu ad invisibiles DEI perfectiones surgendi, dummodo sic cum animis nostris ratiocinari velimus. Quantò unumquodque opus pulchritudinis, & magnificentiæ plus exhibet, tantò manifestiùs sapientiam, & virtutem sui artificis prodit. Atqui opera, quæ DEUS in mundo edidit, incomparabilem elegantiam præferunt, humanas omnes ideas, atque vires longissimè prætergrediuntur, & singula, ut Ch ystostomus loquitur, (*In Ps. 148.*) *Ple-
na magno miraculo sunt.* Dubitari ergo non potest, quin admirabilis supra omnem modum sit ars, & potentia cælestis illius fabri, qui tam miros effectus noverit, potueritque producere. *De magnitudine operum, & pulchritudine creaturarum* (scitè D. Hilarius) *generationum Conditor inspicitur: & cum sensum ipsum supergrediatur operatio, omnem tamen sensum longè excedat, necesse est Operator. (L. 1. de Trin.)*

4. Di-

4. Dixi præterea, ex eodem illo principio aliud item posse consequens erui, immensam nimirum exuperantiam, qua DEUS in se colligit, quidquid decorum in res alias dispersit: & sic aliam haberi præ manibus nihilo minus facilem praxim, supremum illum Opificem per suorum operum monumenta agnoscendi: ita nempe, ut ex rerum occurrentium amabilitate, magnitudine, excellentia, & decore arguatur, quanto amabilior, major, pulchriorque sit, qui eas tales effinxit. Quæ argumentandi ratio & à D. Augustino nobis suggeritur, ubi scripsit: (*In Ps. 84.*) *Fratres, cogitate ista, quæ videtis pulchra, quæ amatis. ipse fecit. Si hæc pulchra sunt, quid est ipse?* & multò etiam prius, atque expressius indicata est in libro Sapientiæ, eorum insaniam, qui res sensibiles ob nativa sua decora divinis honoribus prosequerentur. (*c. 18.*) notante: *Quorum, si specie delectati, Deos putaverunt; sciant, quanto his dominator eorum speciosior est. Speciei enim generator hæc omnia constituit. Aut si virtutem, & opera eorum mirati sunt, intelligant ab illis, quoniam, qui hæc fecit: fortior est illis. A magnitudine enim speciei, & creaturæ cognoscibiliter poterit Creator horum videri.* Quidnam verò posterior hæc praxis, & argumentandi species diversi à priore habeat, nemini difficile cogni-

tu est. Ibi siquipem generali, nec diversa usquam ratione solam DEI sapientiam, & operandi vim in quibuslibet illius effectis agnoscimus, licet multi illorum effectuum hujusmodi dotibus careant: neque enim potentissimus mons, aut vermis sapientissimus dicitur, esto maximâ & ad primum creandum potentiâ, & ad alterum formandum sapientiâ opus sit. At hinc ex diversis, & peculiaribus prærogativis, quibus alias, aliâsque res insignitas videmus; easdem illas prærogativas in supremo earum Effectore, & multò quidem cumlatiùs ac perfectiùs reperiri colligimus. Nam, juxta verissimum D. Laurentii Justiniani effatum: *Omnia pulchra testantur ipsum pulcherrimum, dulcia dulcissimum, sublimia altissimum, pura purissimum.* (De Casto Con. c. 18.)

5. Neque porrò ad id colligendum seu magno ingenii acumine, seu longo ratiocinationis circuitu est opus. Sat fuerit, si vulgatissimum illud teneatur principium, *Neminem scilicet dare alteri, quod ipse non habet.* Unde palàm sequitur, causam omnem, ceu effectibus à se una productis tribuit, quidquid perfectionis & bonitatis ii habent; sic debere illud ipsum in se habere: alioquin quomodo aliis potuisset conferre, quod sibi deerat? *Numquid colligunt de spinis uvas, aut de tribulis*
fi-

ficus? (*Matt. c. 7.*) Quod cum extra omnem controversiam sit, & per ipsius naturæ magisterium, ac lumen, vel hebetissimis quibusque hominum pateat; facillimum cuique est, ubi quid eximæ ac præcellentis rei videat, ita secum differere: Hæc res non à se ipsa certè habet, sed à D E O accepit suum esse. Ergo neque à se habet, sed à D E O accepit perfectionem, pulchritudinemque, qua excellit. Jam verò, si DEUS eam ipsi dedit, fieri non potuit, quin eandem haberet, cum dedit: alioquin, quod non habebat, dedisset. Sed, si illam tunc habuit, nunc pariter habere illam pergat necesse est. Quod enim per efficientiam & productionem datur, à producente non amittitur, sed ei solidum atque integrum manet: quemadmodum tenuis facultæ lumen, vel si mille funalia succenderit; non ideo ulla ex parte minuitur. Ergo, quàm in hac re admiror, perfectio in D E O etiam existit. At quomodo, & quanta ibi existit? quantàmne & qualem hinc video? Imò longè amplior ac melior. DEUS quippe universalis causa est, non hujus duntaxat rei, sed & aliarum quarumlibet æquè aut magis præstantium: nec proinde hujus duntaxat, sed & aliarum quarumvis perfectionem, pulchritudinemque in se continet. Quantum itaque re-

rum omnium in mundo existentium pulchritudo simul collecta, peculiarem hujusce unius rei pulchritudinem superat; tantum divina item pulchritudo eam superet, necesse est. Tantum, inquam, solummodo? Parum nimis id est ad illius dignitatem. Cùm DEUS præter omnia, quæ in lucem hæctenus protulit, innumera quoque alia, & longè præstantiora possit creare, ac proinde infinitas, distribuendas iis dotes, ac prærogativas necessario in Essentia sua habeat. Quale igitur, quàmque immensum perfectionis, & pulchritudinis pelagus oportet eum esse, cùm infinito intervallo totam, quanta est, rerum hæctenus productarum perfectionem, pulchritudinemque transcendat? Et, si tantum sæpe me afficit peculiaris aliqua hujus, vel illius rei creatæ perfectio, multoque plùs me afficeret, si esset centuplò major, multoque adhuc vehementiùs, si quidquid perfectionis cæteras quasque res creatas commendat, in se una exhiberet; quantò ampliùs, ac penitiùs par est, ut me afficiat infinitum DEI esse, cujus non nisi rudis umbra, & tenuis scintillula est omnis conditarum rerum perfectio? O pulcherri-me, ô perfectissime totius perfectionis & pulchritudinis Conditor, fatendum enim verò est, *Mirabilia opera tua; & anima mea cognoscit nimis.*

mis. (Ps. 138.) Satis, & supra etiam quàm satis immensam tuorum decorum summam hæc mihi palàm faciunt, imperfectissima licèt tui simulacra. Nimum sempiternæ tuæ lucis vel in hisce umbris effulberat. Ah penitens cæcum, qui in singulis te operibus tuis impressum non cernit, tanquam universale totius pulchri prototypon. Ah prorsus amentem, qui amore visibilis cujusquam objecti ad te deferendum inducitur: cum visibilia quæque objecta, quò amabilia sunt, eò vivaciùs infinitam amabilitatem tuam repræsentent, majorique vi polleant, spectatores suos pertrahendi ad amorem Tui. Ah nè ità ego sim vecors, ut mortuam imaginem suo vivo ac vero exemplari præhabeam. Nè illarum me rerum aspectus à te avocet, quæ hac tantùm de causa sunt conditæ, ut ad te me perducant. Contempler nunc te in ipsis, tanquam in tot ænigmatibus, atque speculis, ut imperfecta hujusmodi visio me idoneum effingat, ad te postmodum, omni amoto velamine, in tua incomprehensibili Essentia videndum.

6. Atque hoc sanè pacto duas tibi, pie Lector, vias complanavi, quibus ducentibus, certo & facili itinere ubivis reperire DEUM possis. sublevando nempe animum à contemplatione, & admiratione rerum visibilium ad

cognitionem, admirationemque invisibilis earum opificis. Nam &, teste Philosopho: *Nulla res naturæ est, in qua non mirandum quidpiam occurrat.* (L. 1. de Part. An c. 5.) &, juxta recit. tam à Clemente Alexandrino D. Mathiæ Apostoli sententiam: *Admirari præsentia primus est ulterioris cognitionis gradus.* (L. 2. Str. c. 5.) Sed, quoniam curæ mihi admodum est, nè, quæ hac super re dixi, celeri lectione decursa, nullum in animo sui effectum relinquunt; juvat in iis aliquantò diutiùs immorari: & majoris facilitatis, atque frugis gratiâ, utriusque ex prædictis consecrariis praxim ad meditationem, certis capitibus comprehensam, redigere.

CAPUT X.

Praxis fructuosa, & cuique facilis conscendendi à rebus creatis ad Procreatoris notitiam, per primum ex duobus consecrariis jam dictis.



Natura, ceu observatum à Seneca est, (De Otio Sap. c. 32.) *Artis sibi, ac pulchritudinis suæ conscia, nihil non molita est, quo contemplatores, admiratorésque illius nos haberet, Ut sci-*